



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXVII. De Obsidione castri Christmemele.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

de cibo & rebus aliis ibi deposuerant deductos. Turbati ergo fratres dum venirent ad secundam mansionem, & ibi & de pane & aliis relictis nihil penitus invenirent, processerunt & pluribus diebus fuerunt sine pane, quidam fame invalescente comedebunt equos suos, alii herbas, & radices earum, aliqui mortui fuerunt fame, multi inedia consumpti post redditum defecerunt, reliqui circa finem sextæ hebdomadæ à die quā exierant sunt reversi.

CAP. CCCXVI.

*De**Impugnatione castri Raganitæ.*

Anno Domini MCCGXV. circa assumptionem B. Virginis Lethovini de Samethia cum omni potentia exercitū sui venerunt occultè & improvisè ad castrum Raganitam & impugnaverunt illud, quibus fratres dum occurrerent in bello, non valentes tantæ multitudini resistere, coacti sunt retrocedere; non tamen sine pœnitentia suorum, quia Fr. Joannes dictus Poppe ibi occisus fuit ab infidelibus & plures alii vulnerati. Tandem cum Lethovvini in hac impugnatione non proficerent, calcatis & destructis in agro utriusque castri, scilicet Scolovitarum & Raganitæ, segetibus, recesserunt.

CAP. CCCXVII.

*De**Obsidione castri Christmemele.*

Eodem anno mense Septembri Wittenus Rex Lethovino-
rum, congregatis omnibus de regno suo, qui ad bellum apti
fuerunt, obsedit Christmemelam & per XVII. dies duabus ma-
chinis & multis Sagittariis ex omni parte fotissimè impugnavit.
Fratres autem hoc videntes, ut præcaverent futurum pericu-
lum,

lum, castri sui præurbium cremaverunt. Medio tempore, quo
hæcagerentur, venerunt de Sambia X. fratres, CL. viri navigio
in subsidium dicti castri; sed Lethovvini ita prudenter occupa-
verant vias & aditus ipsius castri, quod licet sæpius attentaretur,
nullus tamen habere poterat accessum ad ipsum. Unde coacti
sunt fratres manere in navibus, tibi eos Lethovvini singulis
diebus impugnaverunt, in qua pugna de infidelibus plures oc-
cisi sunt, & lethaliter vulnerati, & de parte fratrum XVIII. viri
vulnerati. Dum ergò sic non proficerent, tandem die XVII.
cum vellent recedere, intellecto, quod Magister cum magno
exercitu appropinquaret, accedentes ad fossam castri, apporta-
verunt ligna, fœnum, stipulas, & stramina, volentes ipsum uti-
que concremare; in qua comportatione & impugnatione tot
de infidelibus occisi sunt, & lethaliter vulnerati, quod corum
numerum (non) audivi, sicque combustis machinis negotio
recesserunt.

CAP. CCCXVIII.

*De**Combustione suburbii castri Ju-*
nigeda.

Interea Fr. Carolus Magister generalis de salute suorum so-
licitus, turbatusque de obsidione dicti castri, congregavit
magnum exercitum, ut ipsum liberaret: sed dum in via perci-
peret, quod esset solutum ab obsidione, dimisit exercitum, præ-
ter sex millia hominum, cum quibus navigio venit noctis tem-
pore ad castrum Junigedam, & intrantes suburbium ejus, occi-
sis multis hominibus & LXXVIII. captis, funditus per incendi-
um destruxerunt. Deinde processerunt Christmemelam, &
quicquid Lethovvini ibidem destruxerant, refecerunt,

CAP.